



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Humilitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Aplicaret, procumbens coxam illius pro genibus attigit, principeque præ fastu indignante: *Quid, inquit, annon hæc tua sunt, æque ac genua?* Apud Ciceronem legas oratione post reditum, ubi L. Pisonem acerbissime compellat: *Tu meum generum, propinquum tuum, tu affinem tuam, filiam meam, superbisimis & crudelissimis vobis à genibus tuis repulisti.* Jam vero illa, *Ad pedes jacere, & accidere ad pedes*, eodem significata notissima sunt.

HUMILITAS. CAP. LIX,

Depositum genu humilitatis & superiorem agnoscentis indicium esse, nulli non immotuit. Hinc apud Horatium:

*Jus, imperiumq; Phraates
Cæsaris accipit genibus minor.*

In Divinis literis: *Reliqua mihi sunt septem millia virorum, qui ante Balaam genua non curvaverunt, & alibi: Fleto genua cordis mei, & hujusmodi pleraque, id uno verbo dicitur procidere: atque ita etiam nostri Psalmo 72. Septuaginta reddidere: Coram illo procident Æthiopes. Multo vero plus Procumbere, & Terram lingere ut ibidem: Inimici ejus terram lingent.*



*Epist. l. 1.
epist. 12.*

1. Reg. 19.

Ephef. 3.

PROCLIVIS AD VITIA.

CAP. LX.

Neque negarim alicubi flectere genua esse hieroglyphicum ad terram, hoc est, ad vitia declinantium, & humanæ cedentium fragilitati, impurisque affectibus inservientium: adversus quos nisi steterimus, nullam ex hoste victoriam sperare possumus.

LEVATI PARIENTIUM LABORES.

CAP. LXI.

Visebantur olim in Capitolio ante Minervæ cellam signa tria Nixidia nuncupata, quæ genibus nitebantur: sed ea de causa ita dicta, quod parientium nixibus præfiderent, quod eo libentius retulimus, quod vulgata exemplaria Festi corrupta sunt, in quibus scilicet pro Nixidia, Noxii scriptum invenias. Sunt qui signa hæc Antiocho Rege Syriæ superato, à M. Attilio subtrahæta prodiderint, ab eoque Romam apportata: alii capta Corintho advecta, quæ ibi mensæ subjecta fuerint. Sed jam de manu, deque pedibus & genu, hæc dicta sufficiant. Videor enim mihi nullam, neque tui, neque publici commodi rationem habuisse: tui, quia Philosophum scio nolle defidibus & supervacaneis lectionibus detineri, eaque tantum lectitare, quæ ad sanam doctrinam facere videantur. In publica vero commoda me peccasse vereor: quia dum de his detinui nugis, boni aliquid ad alicujus ægroti salutem excogitasses. Quicquid tamen in hoc erratum est, totum id tua culpa factum, qui Cicadæ, ut dicitur, veterum scabere non dubitasti.

Nixidia signa in Capitolio.